



**Commentariorvm, Ac Dispvationvm In Primam Partem
Sancti Thomæ Tomvs ...**

Complectens ad viginti sex Quæstiones priores, centum & septem
Disputationes in Capita diuisas

Vázquez, Gabriel

Antverpiæ, 1621

De amore Dei. c. 2.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80983](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80983)

tribuantur. Nam desperatio vere esse potest eius, quod euidenter cognoscitur, non esse futurum. Si enim aliquis suum aliquorum Mathematicorum eclipsim, quæ reuera futura erat, sperabat non esse futuram, & ita desiderabat, postea euidenter cognoscat, esse futuram, desperabit non fore. Quod vero Paulus ait, huic doctrinæ non adueriatur: ideo enim negat spem eius, quod videtur: quia quod iam videtur, & visione ipsa quodam modo possidetur, non speratur, ipsa visione possidendum. Nam cum visio speratur, postquam habetur, iam amplius non speratur. Spes enim est futuri, & nondum habiti. Nos vero contendimus posse quidem sperari id, quod euidenter cognoscitur esse futurum, & desperationem circa idem similiter esse posse.

Ideo igitur Deo non competit affectus spei, aut desperationis, quia spes respicit illum, à quo res aliqua speratur, tanquam superiorem, & potentior, qui possit præstare id, quod speratur, in quo ratio formalis obiecti huius affectus consistit: nam à seipso nullus proprie sperare dicitur: & forsitan in hoc consistit ratio difficilis, quam dicit S. Thom. ad obiectum spei pertinere: Deus autem nullum huiusmodi respicere potest: idcirco affectum spei, aut desperationis habere nequit, sed solum desiderium, & fugam, vt supra explicatum est.

Tertio timor, & tristitia non reperiuntur in Deo: hæc namque passionēs sunt circa malum proprium; timor circa malum futurum, quod aliquo modo creditur, aut dubitatur futurum; tristitia vero circa malum præsens: & quamuis timor etiam & tristitia esse possit de malo proximi, ex amore, & caritate erga illum; in Deo tamen adhuc hoc modo esse non potest: eo quod in nobis timor, & tristitia etiam si sint de malo amici futuro, aut præsentis; sunt tamen de illo ita apprehenso, ac si esset proprium ac proinde talis naturæ in nobis est, vt etiam passionē appetitus excitet, & moueat. Deo autem quamuis displiceat malum nostrum futurum aut præsens, nunquam tamen ipse apprehendit illud, ac si proprium esset, quod videtur necessarium rationem timoris, & tristitiæ de bono amici. Aliqui existimant ideo in Deo non esse tristitiam, & dolorē, quia nihil ei accidere potest contra suam voluntatem: horum tamen sententiam impugnamus infra disput. 14. cap. 1. Diximus tamen in Deo esse desiderium de bono nostro futuro, & fugam de malo, quia ad rationem horum affectuum, necessarium non est bonum aut malum, vt proprium apprehendi. Inter timorem etiam & fugam futuri mali, hoc est discrimen, quod fuga esse potest de malo, quod apprehenditur vt futurum, licet non credatur futurum, timor autem esse debet de malo futuro quod creditur esse futurum.

CAPVT II.

De amore Dei.

Am vero dicamus de alijs affectibus, qui Deo tribuuntur, nullamque in sua formali ratione imperfectionem includunt, sic enim quæ Deo conuenire dicimus, ei sunt assignanda, vt in sua ratione formali nullam imperfectionem contineant: siquam vero imperfectionem habent annexam, qualis est in humanis affectibus perturbatio corporalis, non est Deo concedenda: ob id tamen natura ipsa, & ratio formalis affectus non debet ipsi

denegari. Talis est secundum omnium sententiam amor, qui formaliter solum est affectus, quo volumus alicui bonum, non considerata ratione futuri, neque præsentis, sed rem solum secundum se considerando: qui quamuis essentialiter in omni affectu prosecutionis quodammodo includatur, vt 1.2. q. 4. art. 1. explicabitur; per se tamen potest esse actus re ipsa distinctus ab omnibus alijs, quatenus tendit in rem secundum se abstractam à præfenti, & futura. Hic igitur non minus proprie Deo tribuendus est, quam ratio voluntatis, & intellectus. Nam sententia Arist. 2. Rhetor. cap. 4. amare est velle alicui bonum, & complacere illius habere: ergo amare non minus proprie Deo conuenit quam velle.

Porro cum in eodem actu amoris sit duplex respectus, vt docet S. Thom. 1. 2. q. 26. art. 4. Cajetan. ibidem, & Ferrar. 1. contra gent. cap. 51. alter ad rem cui volumus bonum; alter ab bonum ipsum, quod volumus: ratione prioris dicitur amor amicitiae, ratione vero posterioris dicitur amor concupiscentiae: non quidem duplex actus amoris, sed in eodem actu duplex amoris respectus. Cumque vtrumque in Deo necesse sit inueniri, siquidem integra ratio amoris Deo conuenit; difficultas est vtrumque amor Dei, quatenus dicitur amicitiae, referri possit ad creaturas irracionales, an solum quatenus est amor concupiscentiae, ad eas terminetur. Ratio vero difficultatis est, quoniam illud dicitur amore amicitiae per se amari, cui volumus bonum vt bonum ipsius est: creaturæ autem irracionales vult Deus bonum, vt bonum illius est: ergo diligit eam amore amicitiae.

Existimo tamen, amorem Dei quatenus est amicitiae, ad res irracionales referri non posse. Sed in eas solum terminari, quatenus est amor concupiscentiae. Sententia est expressa S. Th. in hoc 1. 2. præsertim in solut. 1. Sco. in 1. d. 32. q. 1. ad 2. Dur. q. 1. Pal. q. 3. 4.3. Gab. q. 1. a. 1. nota. 2. & a. 1. concl. 3. Capreo. in 1. d. 45. q. 1. a. 1. concl. 11. & probatur aperte ex doctrina Arist. 8. Ethic. c. 1. & S. Th. 1. contra gent. c. 5. ratione 2. dicunt enim, nos non amare res irracionales amore amicitiae, etiam si illis velimus bonum, vt viuo conseruationem, quia res irracionales & bonum illius diligitur, vt bonum rationalium, quibus natura sua seruiunt irracionales, & ideo ait Arist. omnes res irracionales per accidens semper amari: ergo relatæ ad diuinam voluntatem non possunt esse obiectum amoris amicitiae, aut beneuolentiae. Cum enim amor beneuolentiae sit inchoatio quædam amicitiae, vt ait Arist. 9. Ethic. c. 5. & res irracionales esse non possint obiectum amicitiae, nequeunt etiam esse obiectum beneuolentiae: vnde li. 7. Eth. ad Eudemum c. 8. docet Arist. amorem beneuolentiae esse initium amicitiae: est enim, inquit, affectio quædam, qua quis alteri bonum desiderat propter illius virtutem, non propter suam utilitatem, vel voluptatem. Neque enim (inquit) prohibet beneuolentia sit, alioquin lequeretur, inquit Arist. nos diligere bestias amore beneuolentiae: id quod merito reputat absurdum, id vero manifeste sequi patet. Quia aliquando bestiis certantibus in circo afficiuntur, & tamen non ob id illas amore beneuolentiae, aut amicitiae diligimus: quia ipsi afficiuntur ob nostram utilitatem, aut commoditatem: cum igitur Deus omnia inanimata, & irracionales diligat, non propter ipsa, sed ob nostram utilitatem aut commoditatem, sequitur eas non esse obiectum

Amor quid.

Competit Deo. Arist.

6

Amor amicitiae & concupiscentiae quid. S. Thom. 1.2. Cajetan. Ferrar.

Ratio dubitandi.

Deus non habet affectum amicitiae erga irracionales.

S. Thom. Scotus. Durandus. Palud. Gabr. Capreo. l. 1. Arist.

Neque affectum beneuolentiae.

Arist.

8

Q. 4

etiam

Homo est
obiectum
amicitiæ &
benevolentie
Dei.

Etiam amoris amicitia & benevolentia, sed concupiscentia solum. Ergo homo cum quo veram amicitiam inire potest Deus, obiectum esse potest amoris amicitia, & benevolentia, qui est inchoatio quædam amicitia. Hæc enim differt ab amore amicitia, quia amor potest esse ex altera parte tantum, circa illum, cum quo amicitia conciliari potest: at amicitia est mutus amor utrinque notus, & beneficiis confirmatus, de quo latius 2. 2. q. 23. art. 1. sicut tradit *Arist. 9. Ethicor. c. 5.* hac ratione lib. 3. de adoratione disp. 1. c. 6. probantur res irrationales, non posse esse integrum terminum adorationis, sicut neque amoris, prout amicitia, aut benevolentia est. Idem, quod de amore diximus, de affectu gaujij & delectationis dicendum est: nempe Deo formaliter tribuendum esse, non tantum de bono alterius: nam etiam de bono nostro gaudet & delectatur; sed etiam de bono suo: hic enim affectus est de bono præfenti, ut præfens est, & ideo non solum de nostro, sed de suo Deus gaudere potest: cum tamen desiderium solum habeat nostri boni, ut c. 1. explicatum manet; non boni proprii: quia desiderium est futurum, sibi autem nihil boni futurum est, sicut nobis.

CAPVT III.

Affectum odij Deo conuenire.

Aliqui negant Deo affectum odij proprie. s. Thom. Ferrar. Capreolus. Prima ratio. Secunda ratio.

DE affectu odij aliqua est etiam inter Scholasticos controuersia, an Deo proprie assignari possit. Nam *S. Th. 1. contragen. c. 99. Ferr. ibi & Capreol. in 1. d. 45. q. 1. art. 1. concl. 8. docent, in Deo non esse proprie odium. Primum respectu ipsius peccati probant, quia odium proprie refertur ad substantiam, sicut amor; sed peccatum non est res subsistens: ergo nec potest esse obiectum odij. Deinde peccatorem non esse Deo obiectum odij probant, quia voluntas Dei ferri non potest in malum, ut malum est: sed aliquem odio habere est velle illi malum, ut malum illius est, ergo non potest Deus aliquem odire: quare cum Deus alicui infert malum, voluntas Dei in ipsum malum fertur, quatenus aliquam habet rationem boni, manifestationem videlicet iustitiæ suæ erga peccatores. Idcirco potius Deus vult iustitiam suam ostendere, quam malum inferre, ut malum est: cum vero Scriptura sæpius dicat, Deum odio habere ipsum peccatum, & peccatores, metaphorice intelligendum putant: quia Deus se habet circa peccatores instar odio habentis, cum inferat illis malum: circa peccatum vero, quod desideret ipsum non esse.*

Odium in Deo est proprie.

Odium quid est quousplex. Causa.

Amoris odij que differtur an Causa.

Ego vero existimo secundum proprietatem Deo conuenire odium, non solum peccati: sed etiam peccatoris: hoc est, & odium abominationis, & inimicitia, *S. Thom. in art. 2. ad 4. plane, & absque vlla limitatione docuit, Deum odio habere peccatores, non quatenus creaturæ ipsius sunt, sed quatenus per peccatum à rectitudine deficiunt. Quare cenleo, omnia loca Scripturæ, quæ Deo odium attribunt, non metaphorice, sed proprie esse intelligenda. Vt autem hanc sententiam explicemus, & confirmemus, notanda est diuisio quædam, & definitio odij, quam accurate tradit *Caic. 1. 2. q. 29. art. 1.* aliud inquit est odium abominationis, aliud vero odium inimicitia. Abominationis est displicentia mali, quod nos patimur, aut alij; inimicitia autem est, velle alicui malum, quatenus malum illius est ex displicentia personæ. Explicat deinde*

Causa differt inter amorem, & odium, & quidem notatione dignum: nam in eodem actu amoris, qui non est aliud, quam velle alicui bonum, inuenitur duplex respectus per modum affirmationis, prosecutionis, & complacentia, quidam ad personam, ratione cuius dicitur amor amicitia; alter ad rem ipsam, aut ad bonum voluntum personæ, ex quo dicitur amor concupiscentia: & nunquam sine his duobus respectibus aliquis actus amoris quo volumus alicui bonum, reperitur: at duplex illud odium constituere potest duplicem actum. Est enim odium inimicitia in vno actu, quo volumus alicui malum, ut malum illius est, ex displicentia personæ; & in hoc actu est duplex respectus, aliter quam in amore est quidem respectus ad personam, & hic est per modum negationis, & fugæ, & constituit rationem displicentia, & odij inimicitia, est etiam respectus ad malum, quod personæ consideramus, & illud respicit per modum affirmationis, & complacentia, sicut amor respicit rem concupiscentia: sed non constituit actum amoris: quia deficit respectus complacentia personæ. Odium vero abominationis est displicentia mali alicuius personæ, ut cum displicet mihi mors propria, aut amici, & hic actus duplicem quoque respectum habet vnum ad personam per modum affirmationis, & complacentia, ex quo essentialiter est amor amicitia, ut dicemus in 3. p. *S. Thom.* tractantes de contritione, alterum ad malum per modum negationis, & fugæ, seu displicentia, ex quo habet rationem odij abominationis: ergo odire aliquid odio abominationis, est velle malum alicui. Quocirca *S. Th. 1. 2. q. 29. art. 1.* amoris & odium generatim definiens inquit: amor est consonantia appetitus cum bono: odium vero contra dissonantia appetitus cum malo, quod ut quid ex *S. Thom.* notuim, & r. pugans apparet.

His iactis fundamentis facile demonstro, vtrūque odium Deo conuenire secundum proprietatem. Primum quidem de odio abominationis indubitarum esse debet: Deo namque non minus proprie displicet peccatum, & nolle ab homine fieri, quam desiderat iustitiam, & rectam hominis vitam. Displicet autem peccatum duplici ratione, & tanquam sibi contrarium, & tanquam homini noxium: vtroque igitur modo odio habet peccatum ex complacentia sui, & ex complacentia hominis sicut nos odio habemus mortem, aut noxiam, aut amici ex complacentia nostri, aut amici. Hinc etiam facile apparet infirmitas prioris rationis oppositæ sententia: nam odium si sit abominationis secundum rationem odij non necessario refertur ad substantiam, sed ad malum ipsum. Imo ut ex definitione constat, odium abominationis relatum ad rem subsistentem, rationem habet complacentia, & amoris, ut dictum est: tamen cum sit displicentia ipsius mali, veram & propriam habet rationem odij: alioquin, nec nos proprie dicere mur odio habere peccatum, cum de illo dolemus quod est absurdum.

Deinde de odio inimicitia idipsum probatur: quoniam Deus non tantum vult homini peccatum inferri penam, sed etiam eam illi vult, ut illius malum minuetur, & ex displicentia ipsius: ergo ipsum profertur odio inimicitia, ut ex definitione ipsa odij manifeste colligitur. Porro autem ex displicentia personæ Deum velle malum illud constat. Nam licet persona ipsa, quatenus homo, & creatura